carnificinam mittit. Ibi tamen ſuos præclara Virtus fulgo-
res inter ſputa, ſacrilegasque Sacerdotum Voces contraxit,
et quodam ſilentij quaſi obducto Velo, lucem cohibuit,
arbitrata facinus, ſi ab illius incoeſtis oculis aſpiceretur.
Mitto hic dd. ſpecie à deterrimo tyranno iniuriam
irrogatam Numini, dum illam Sapientiæ Regiam amentiæ
inſignibus illuſit. mitto paulo poſt apud Pilatum Sacerdotū
renouatos iterum, auctosque clamores, quibus innocentis
Vitam ad crucis necem expoſcunt. quibus Cæſaris nomen
Iudici tremendum reddere conantur. quibus eiuſdem
Iudicis de Christo liberando ſententiæ efferatis animis
obſiſtunt. mitto poſt habitum DEUM ſceleſtiſſimo graſſato-
ri, ac totius Hebrææ Gentis calamitati. mitto denique
tantæ iniuriæ Vltionem ab Hebræis in ſe, ſuiſque liberis
Vltro ſuſceptam. Illud illud dicam, quo nihil dici poteſt, ſin-
gique ſceleſtius. Ferus ille Vel in ipſa clementia Iudex vt
Innocentis ſanguinis ſitim in Hebræorum animis æſtu-
antem eiuſdem Innocentis ſanguinis alluuie reſtingueret
Christum per ſingularem clementiam tanquam Vile quod-
dam mancipium flagellis addixit, et hoc non ad no-
centis poenam, ſed ad commiſerationem Innocentis.
O immaniſſimam clementiam. quid iratus aget,
ſi miſericors crudeſcit adeo? quo procedet impietas,
ſi pietas hoc imperat? quid denique facient, qui